

alii supervenire soleant. Ulterius quoq; hoc privilegium 73  
 de expellendo strepifero vicino, utut principaliter com-  
 petat literatis in Academia viventibus, ob eundem tamen  
 favorem & utilitatem publicam ad alias Ddres, Advoca-  
 tos & literatos, qui extra Academias aliis in civitatibus  
 degunt, ac patrocinando, consulendo, judicando aliis  
 inserviunt, extenditur. vid. Richter. *ad Autb. Habita C. ne*  
*fil. pro pat. diss. 3. c. 2. n. 2. Dn. Stryk. d. c. 2. n. 14.* Utuntur 74  
 vero hoc jure literati adversus vicinos quoscunque, qui  
 artē strepiferā, ut sunt fabri ferrarii, vietores &c. vel etiam  
 fœtidam exercent, ut pelliones, qui ultra fœtorem, quo  
 naribus molesti sunt, toti quoque viciniæ suo strepitū,  
 quando baculis pelles feriunt, molesti existunt. Richter  
*d. l. Spekhan. cent. 2. cl. 1. qu. II. n. 10. Coler. d. proc. Exec.*  
*p. 1. c. 4. n. 8. Dn. Stryk. d. l. & diss. 5. c. 3. n. 36.*

Quemadmodum autem hæc omnia facile locum 75  
 habent, quando literatus prævenit opificem emendo vel  
 conducendo, siquidem præoccupantis regulariter melior  
 est conditio. *l. 32. ff. d. procur. l. 14. ff. d. nox. act. tum pro-*  
*ppter prioritatem temporis, quia qui prior tempore, po-*  
*tior jure; tum propter prærogativam possessionis, quæ*  
*nemini auferenda est, vid. Menoch. d. c. 237. n. 7. Dn. 76*  
*Stryk. d. l. n. 10. ubi limitationem habet; ita idem quo-*  
*que obtinet, si literatus cum opifice in emenda vel con-*  
*ducenda domo concurrat, cum & alias major semper*  
*præferatur minori, major vero fit causa studiorum, quam*  
*opificum; arg. l. 54. ff. d. judic. Menoch. d. c. 237. n. 9. Dn.*  
*Stryk. d. l. n. 15. Quin imo & ad illum casum hoc pri-* 77  
*vilegium aliqui extendunt, quando opifex prævenit li-*  
*teratum, vid. Perez. *ad tit. C. d. stud. lib. urb. Rom. n. 7.**